



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Praefatio ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

# VIA COMPENDII AD DEUM,

Per Motus anagogicos, & orationes  
Jaculatorias.

*Liber Isagogicus ad Mysticam Theologiam.*

### *Præfatio ad Lectorem.*



Ultimè luctatus sum, Christiane Lector, mecum cogitans, & animo volvens, quidnam potissimum in hoc vestibulo tecum colloquerer. Diu tamen cogitanti nihil occurrit, nisi ut plurimam tibi salutem ex imis sensibus optem; quæ utinam per hunc librum vera & æterna tibi contingat. In hoc voto sistere fatius est, quàm te proluxâ præfatione gravare: quidquid enim addidero, quid erit? An favores tuos & laudes captem? Parce, ista non ambio. An tuam saltem benevolentiam exquisitis verborum flosculis conciliem? Hoc non fit verbis, sed mutuis officiis, & beneficiis. An de usu & praxi hujus opusculi documenta præscribam? Congererem inutiliter, quæ infra suis locis utilius leges. An materiæ utilitatem, & præstantiam extollam? Jam ex titulo & prospectu intellexisti, nihil melius fore, quàm citò ad Deum pervenire. An formam, stylum, & dicendi characterem, quod plerique solent, excusem? Neglexi hæc lenocinia, Manilii versum sequutus, *Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.* An studium meum prædicem, & laborem, qui multus fuit? Pietati scripsi, non pompæ. An te de scopo instituti operis præmoneam? Frustra, quia in limine primi capitis descriptus est. An adversus maledicos & obtrectatores tuum implorem patrocinium? Non est necesse, nam sperno, & fugio hoc genus hominum; quod si non effugio, causa Dei hic agitur, ipse tuebitur, & judicabit. An pro terminis, & phrasibus mysticis præmittam Apologeticon? Nec quidquam, à vöcibus enim obscuris abstinui, vel si quas materiâ exigente intermiscui, non mea, sed rerum hæc culpa est, quæ non aliter tractari possunt. An objectiones præoccupem, quibus convelli studium meum potest, & audacia reprehendi? Non admittunt hæc paginæ talem lectorem, qui velit contentionibus deservire, & clarescere inimicitiis. Tu præ ultrò ipse fateor, me rem sublimem, non meâ, sed alienâ experientiâ edoctum scripsisse; sicut scriptum est, *Credidi propter quod locutus sum.* Adde solatium meum esse de perfectione disserere, instar languentium, qui, cum vacent à sanitate, de bonis ejus tacere non nõrunt. Denique generosa res est in altum conari. Quæ causa igitur mihi est, ut te sine fructu hic morer? Nulla, nisi ut Deum ames, & ad eum properes, ejusque gratiam mihi concilies, ne in semitâ immobilis hæream, dum aliis ad metam festinantibus viam ostendo. Vale.

Q

CEN